

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Centvrio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

SENTENTIA.

*Christus venit ad docendum servandumque son-
tes. Christus æternum vivificumque cibum potio-
nemque dat. Deus animo & vere adorandus est,
nullo locorum discrimine. Dei voluntatem exequi,
cibus esse debet homini Christiano.*

CENT V R I O. Matth. 8.

ARGUMENTVM.

*Iesus a Centurione exoratus, ejus pue-
rum membris captum verbo sanat.*

Centurio, Iesus.

Domine, puer meus jacet domi membris ca-
ptus, graviterque cruciatur. *J.* Ego ibo
eum curatum. *C.* a) At ego non sum dignus,
cujus tu teclum subeas: sed tantum jube verbo,
& sanabitur. Nam ego quoque, qui sub alterius
sum potestate, tamen obtineo autoritatem in eos,
quibus præsum, milites: ac si quem jubeo ire, it:
fi venire, venit: si servum facere quid, facit. *J.*
O rem admiratione dignissimam! Credite mihi,
ne in Israelitis quidem tantam fiduciam inveni.
Et sine dubio multi ab oriente atque occidente
profecti, accumbent cum Abrahamo, Isaaco & Ja-
cobo in regno cœlesti: cum interea b) ii, ad
quos regnum pertinebat, in alta noctis caligine
demersi, nihil aliud quam flebunt & frendebunt.
Tu abi, & ut confidisti, sic obtineto.

SENTEN-

a) Magna modestia.

b) Israelitæ.

SENTENTIA.

*Christus tam facile morbis imperat, quam dux
militibus. Primi erunt ultimi, & ultimi primi.*

PISCATORES. Luc. 5.

ARGUMENTVM.

Petrus jacto reti jussu Jesu plurimos
pisces capit.

Jesu, Petrus.

Subduc in altum oriam, Petre, ut retia laxetis ad
prædiam. *P.* Præceptor, totam noctem la-
borantes nihil cepimus: Sed tamen postquam ita
jubes, demergam rete. O rem miram! Adeste
socii, adjuvate nos. Ruinitur rete, ita multis pi-
scibus est plenum. Corripe tu istas plagas altrin-
secus, vos, vos invergite in naviculam. Definite,
definite sustinere rete: jam hæc plena est, infun-
damus in alteram. O rem inauditam! pene sub-
merguntur cymbæ, præ piscium multitudine.
Quæso te Domine, ^{a)} abi a me! nam homo no-
cens sum. *F.* Ne metue deinceps, jam homi-
nes pescaberis.

SENTENTIA.

*Absque Christo piscari, hoc est, homines docere,
operam ludere est. Christo auspice felix est pi-
scatura.*

P 2

SIMON.

^{a)} *Hoc est: ego nōcens & indignus sum, eum quo-
tu innoēcens & divinus versere.*

